

CHARONDAE ⁿ⁾) sententia , quam vberius exposuit ANDREAS CLVDI-
VS ^{o)} , REBVFFIVM et FORNERIVM , quos nominat , sequutus , iun-
xiisse iureconsultum haec verba , non quasi diuersa , sed vt alterum
ex altero magis declaretur , et maiorem quasi viam adcipiat . Pari
fere ratione , vt obseruat HENRICVS RAHNEN ^{p)} , VLPIANVS ^{q)} iun-
xit duo verba non plane similia , dum *comitem* , ait , *adcipere de-
bemus eum , qui comitetur et sequatur.* Neque enim id reci-
piendum videtur , quod SCIPIO GENTILIS ^{r)} subtiliter disputat , sed
minus conuenienter . MODESTINVM enim , *quum ait : occurren-
ti , significare putat id , quod ISIDORVS et GELLIUS scribunt , seque-
strem a sequendo dici , quod eius , qui electus fit , fidem vtraque pars
sequatur ; quo sensu honestum sequestris nomen est , quum vero : se-
quenti , sordidum munus sequestrium indicasse.* Sed videntur haec
nec satis firma et pugnare inter se . Nam licet vera sit distinctio ,
ad quam respexit , inter sequestrum , qui honesto nomine dicitur ,
et cuius munus sordidum est et turpe , de qua mox erit aptior dis-
serendi locus , tamen non video , quomodo haec ex his verbis : *oc-
currere et sequi* excipi possit . Potestine enim vterque elegi a par-
tibus ? Et quare , quaelo , is , qui a partibus eligitur , potius *oc-
currere* iisdem , quam *sequi* eas dici debet ? Neque est vero admo-
dum simile , iureconsultum vtramque significationem , et hone-

B 3

stam,

ⁿ⁾ locum modo nominauimus lit. *i.* ^{p)} in *Decade posit. iuridicar. de Seque-
stro. posit. i.*

^{o)} in *Tract. de Iure sequestrationis c. 1.* ^{q)} in *c. item apud Labeonem 15. §. ce-
n. 10. 11. qui tamen recte n. 12. in- mitem 16. D. de iniuriis.
tempestiuam GVIL. FORNERII corre- r) Originum ad Pandectas Libro singul.
ctionem reiicit , qua in dict. c. 110. f. v. sequester. in EV. OTTONIS The-
D. de V. S. pro aut vult legi: et faur. Tom. 4. pag. 1370. sq.*